



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs VI. Ostenditur, quòd ideo Afflictio nos consolari debeat, quia
abstinentiam docet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

Hæc igitur sit consolatio nostra in afflictione, meritoriam ex eadem commiserationem discere & præstare, qui
Matth. 5. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.

DISCURSUS VI.

Ostenditur, quòd ideo Afflictio nos consolari debeat, quia ab continentiam docet.

Hæc sit consolatio mea, ut affligit me dolore non parcat.

Iob 6. v. 10.

Neminem conturbet, quòd de afflictionibus loquens prolongantur, quæ etiam volentibus nobis prolongantur. *Audite Sapientem: Occupatio magna creata omnibus, & graue iugum super filios. Sed quam diu? A die exitus de ventre matris, vsque ad diem sepulture.*

Eccli. 40.

bens igitur hanc materiam protraham,
& dicam

Primò, quòd prosperitas intempe-
rantia mater sit,

Secundò, afflictio verò abstinentiæ
origo.

PROSPERITAS INTEMPERAN-
TIAM PROVOCAT.

Nihil non mali abundantia creat, se-
cundis in rebus, vt Augustinus lib. 1. c. 3. *Aug. l. 1.
de Ciuitate Dei, dicit, ea mala oriuntur
in moribus, quæ sequentibus peiora sunt
hostibus; dum illa fruente ad comessa-
tiones, ebrietates, noxiaq; conuiuia in-
citatur. Noxia dico conuiuia, quia optimè
sensit Franciscus Petrarcha, dum ait:
Lutus victus voluptatis, conuiuia sunt
furoris. Sororum duarum inclitum Ci-
uitatum interitum ex his prodijisse, nos
non fallit, qui legimus: *Hæc est iniqui-
tas sororis tuæ Sodoma, superbia, saturitas
panis & abundantia.* *Ezech 16**

Quid? an non totius humani generis
per diluuij illius inundationem, extre-
mam ruinam ipsa Veritas his affererat
factam causis? *Edebant, inquit, & bibe-
bant,* *Luc. 17.*

bant, vsque dum Noë arcam intraret, & repentinus super eos venit interitus.

Filij Israël in prosperis, cùm in Deo consortio nonnihil moræ traheret Catonius illorum Censor Moyses, ad Deum vsque contemptum genio indulgebant choreas ducebant, Baccho Cererique proni, nugas & leuitates meditabantur gulæ frena laxabant. Verba Scripturæ

Exod. 32. hæc: *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere.*

O Israël, ô Israël, abundas bonis, & deficis in summo bono; quia propter crapulam multi perierunt.

Luc. 16. In Discursu superiori ostendi, de Epulone, quàm in prosperis fuerit immisericors; iam percipite, quantum tribuere gulæ, epulabatur quotidie splendide, omnia ad gulam, mensa turgida, fercula erant rara & exquisita, vinum Falernum Apianum, aromatiten, Creticum & honestissimum, epulæ protractæ, & seram extensæ noctem coenæ, meditata fuit retia, & hamos, & viscû, & laqueos & rapaces volucres, ferasq; sylvarum imperio parere, & prædari docuit, nihil aliud nisi vt gulæ satisfiat, quam no-

solùm explendo, sed onerando fatigat. Apage, apage, fagine porce, macia-beris.

Prodigus ille à Patre partem substantiæ suæ obtinens, probè comptus & ornatus (allemodo) insolenti caballo insolenter vectus, peregrè proficiscitur tumefacta crumena, de caupona ad cauponam, de prostibulo ad prostibulum, de vno ad aliud lupanar, de consortio prauo ad deterius transuolat, & intemperantiæ suæ modum ponere non scit nec patitur. *Consumpsit*, ait frater LUC. 15. senior submurmurans, *substantiam suam cum meretricibus viuendo luxuriose*. O fili, nimum abundas, & ideo exorbitans non percipis, quòd *regnum Dei non sit* ROM. 14. *esca neque potus; nescis quòd esca ventri & venter esca, & hanc & illum destruet* I. COR. 6. Dominus. Sed horum nihil aduertitur, abundantia gulæ fomitem subministrat.

Videamus nunc, quomodo temperantiam doceat, nutriat & sustentet afflictio, & hæc sit consolatio, affligi & abstinere.

AFFLICTIO DOCET ABSTI-
NENTIAM.

Nihil certius, securius nihil afflictio-
ne, illa enim eos qui per crapulam á Deo
elongati sunt, per temperantiam eidem
appropinquam facit, *Conuertimini ad
me, dicit Dominus, qua via petis? in ie-
iunio.*

Elongatum dixi Israëlem à Deo suo,
dum prosperis malè vtens crapulæ suæ
intenderet, & vitulum pro Deo adora-
ret. Pro distantia quanta Deum inter &
vitulum? quo abis Israël? Aduersitas ve-
niat, vt ex illâ temperantia oriatur, &
proximus fias Deo tuo.

Venerunt ad desertum Sin, & quibus
ad nauseam vinum superfuerat, aqua ad
necessitatem defuit, mori coram Domi-
no optant; & aquas, non siceram instan-
ter æquè ac humiliter petunt: *Vtinam
Num. 20 perijsemus coram Domino inter fratres
nostros, terra hæc aquam non habet ad bi-
bendum.* Ecce Israel aquam petit, vnde
hæc illi temperantia? vnde nouit aquam
sibi pro naturæ sustentatione sufficere?
ex afflictione, ex terra deserta, horrida
& inculta, ex itineris diuturni & pertesi
dif-

difficultate. Hæc igitur sit consolatio nostra, reconciliari abſtinentiâ Deo, cuius per luxum & gulam inimici conſtituti eramus; vt his docti miſerijs ad Deum redire, à quo foelices reſceſſeramus, cogamur.

Quam bellè ad proſoſitum Auguſtini ſuper illud Pſalmi 55. In ira populos confringes (vel, vt legit Auguſtinus, populos deduces) Iraſcoris, inquit, & deducis, ſæuis & ſaluas, terres & vocas. Quid enim, in ira populos deduces? imple tribulationibus omnia, vt in tribulationibus poſiti, omnes recurrât ad te, ne delicijs & ſecuritate peruerſa ſeducantur, à te ira videtur, ſed paterna; iraſcitur pater filio contemptori præceptorum ſuorum, iratus ei eum colaphizat, cædit, aurem vellit, manu trahit, ad ſcholarum ducit. In ira populos deduces, quam multi ingreſſi ſunt? quam multi impleuerunt domum Domini, in via eius deducti? Ergo reuertimur afflicti, emanſuri certè niſi tali tamq; forti deduceremur manu. Quod idem Auguſtinus in Pſalmum 93. aptè profitetur: Si ceſſaret, inquiens, Deus, & non immiſceret

Auguſt.

amaritudines foelicitatibus, obliuisceremur eum.

Epulonem super communibus fexcentis ferculis nausseasse dixi, vix sapuisse eidem Falernum; sed in tormentis vel aquæ guttulam pro delicijs duxisse. Aduertite: *Pater Abraham*, (cùm in inferno sepultus attollit oculos, & à se despectum Lazarum in eius sinu recumbentem cernit) dicebat, *mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam.*

Luc. 16.

Siccine, Epulo, refrigerationē tibi vel aquæ guttula præstabit? cur non ad vinū numero decem, viginti, & ad diuersa diuersorum vinorum mittis dolia? Ah potestas non est, crucior in hac flamma, hinc & aqua contentus esse didici, nec ad lautiora anhelare.

Lasciuientem produxi Prodigum, vel opimis vel exquisitissimis dapibus alias lautiores præferentem, sed ad penuriam redactus, ad mendicitatem, sacculum & peram perductus, *cupiebat explere ventrem siliquis porcorum.* Ecce quam parè prandere didicit, qui carè admodum coenabat. Pulchrè sanè Epulo ille cum

Luc. 15.

anfe-

anferibus bibere, hic Prodigus cum por-
cis edere discit, idq; in afflictione. Hæc
ergo sit consolatio nostra, affligi & absti-
nere.

Notum nobis omnibus, quod Apo-
stolis suis Saluator ait: *Cauete ne corda* LUC. XI.
vestra grauentur crapula & ebrietate.

Sed quis in abundantia eget? quis in de-
licijs temperans est? quis inter ciborum
delectus varios abstinet? quis in conui-
uijs esurit? Diuus Petrus, hostis tibi pes-
simi sæuissimiq; minatur insidias, quas,
si temperantiâ non euadas, incidet eter-
no tuo damno: *Fratres, inquit Petrus,*
sobrii estote & vigilate, quia aduersarius 2. Petri. 5.
vester Diabolus tanquam leo rugiens cir-
cuit quærens quem deuoret. Rugiet leo,
quis non timebit? quid consilij? veniat
afflictio, temperantiam doceat, sugge-
rat abstinentiam, & euasisti.

Multi Pertinaces ita suo stant iudicio,
vt lauritiam mēse proscribere sese mini-
mè posse asserant; adsit calamitas, penū
euacuet, cibū tollat, dolium exhauriat,
vinum aquæ commisceat, profectò tunc
disces ieiunare te posse, & ventri sese
non totum dare, possibile esse aduertes.

Est Mercator opulentus & magnificus, qui aliquot famulis comitatus semper incedit, hic fortuna aduersa ad faccum detruditur, & experitur quàm facile sit incomitatum incedere.

Est Viator aliàs delicatulus, qui tenebris hospitio interdicitur, & vnius vix trientis armonam confert, & discit isto Vesperi, duobus nummulis coenare se posse.

Est Opifex, qui olim diues, in mensa lautus erat, is ad incitas redactus, olus habet malè vinctum, discit vel tunc parè viuere.

Ioan. 4. Sic, sic, ô Christiane, affligi non te turbet, quia abstemius sis, Deoq; per hoc gratus, & Christi Saluatoris tui cibus tunc sapiet, qui ait: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Quales hæc epulæ? qui regij cibi? nasci, mori, pati, extrema cum paupertate concertare, continuò crucifigi, fame sitiq; expirare. Hæc proinde fit consolatio, abstinentiam pro amica habere.

✱ ✱
✱